

Ad §. II.

XXXI. Necessè tamen, ut nullus alius præter servum heres sit institutus, aut si aliquis institutus, heres tamen effectu non fiat vel esse non possit. Quinimò, si plures servi heredes sint instituti, is tamen, qui primò locò scriptus est, heres fit. *l. 60. π. de hered. instit.* dummodo hic ipse cognosci possit; alioquin institutio invalida, & planè nullius censetur momenti. *l. 42. π. d. t.* Et licet in trò Lex Ælia Sentia, ut utrumq; tam manumissio quàm hereditatis institutio in testamento facta fuerit, requisiverit, ex noviori tamen Justiniani constitutione in *l. pen. C. de neces. serv. instit.* posterior sola sufficit, nec, ut expressè libertatis mentio in testamento facta fuerit, desideratur. Ratio hujus decisionis ex præsumptâ testatoris voluntate petenda. Cum enim servum suum post mortem heredem fieri velit, consequens etiam cum medium, sine quò finem propositum obtinere ipsi non licet, libertatem scilicet concedere voluisse præsumitur, arg. *l. 2. π. de jurisdic. & l. 56. π. de procur.* Et hæc sententia jam olim Pauli & Attilicini fuit *l. pen. pr. C. de neces. hered. §. 1. Inst. de hered. instit.* & Imperator hinc illam novâ ratione ab æquitate petitâ tantum confirmavit, & ut pro jure impofterum obtineat, quod olim ex plurimâ sententiâ contra obtinebat, constituit. Hæc de antithesi.

Ad §. III.

XXXII. Thesis requisita proponit, quæ, ut manumissio in fraudem Creditorum facta dici possit, desiderantur. Primò *Eventus*, ut per illam manumissionem debitor revera non solvendo sit factus, & creditores credito suo exciderint ac defraudati sint. Iste tamen ex bonis defuncti æstimandus: Ut enim heres locuples & solvendo sit, hoc tamen non efficit, ut libertas concessa eò nomine valida & firma reddatur. *l. 57. π. & l. 5. C. de manum. test. l. 5. pr. π. qui & à quib. manū.* Deinde *Consilium*, ut debitor eâ intentione & animò servos suos manumittat, quod velit Creditores suos eâ ratione defraudare atq; decipere: gnarus satis, se vel jam tum non solvendo esse vel concessis libertatibus talem futurum. *l. 15. π. quæ in fraud. cred.* Licet itaq; creditores re ipsa sint defraudati, debitor autem defraudandi non habuit intentionem, aut viceversa debitor intendit creditores defraudare, hi tamen re ipsa non sint defraudati, sed ex reliquis debitoris bonis creditum recuperare possunt, ne ut tò modò dispositioni L. Æliæ Sentia locus est. Non illò quia deficit, animus defrau-